

Urkundenbuch der Reichsabtei Hersfeld. Erster Band (Ed. Weirich) Nr. 97

Noverit omnium fidelium tam presentium quam et futurorum industria, qualiter quidam nobilis homo Guntherius nomine dictus tradidit decem mansos ex hereditario predio suo et de predio filiorum fratris sui Sizo nomen habentis in locis Salzaha Octinsvoha cuidam Meginherii venerandi abbatis militi Lanpreht nomen habenti et una etiam Rodolfo predicti Guntherii vassallo eo tenore, quod idem Lanprehd et Rodolf eosdem videlicet mansos in cuiuscumque manus predictus abbas petat tradant et, si quis hanc traditionem manu promptam frangat, ipse Guntherius et heredes eius mansos recipiunt in propria ut prius. Ipse etiam huius predii adfirmatione pepigit se ipsum et filios eius filiosque fratris sui advocationem super haec loca habituros: Ordorf, Wechmar, Chollidi, Waltsazi cum suis pertinentiis. Quisquis autem hanc advocationem hoc pacto teneat, ut ipsius abbatis miles sit et quinque scutatos ad orientales partes in expeditionem mittat et his etiam abbas victus necessaria prebeat. Huius traditionis testes sunt isti: Engilprehd cappalanus imperatoris, Odo comes, Willihelm marchio, Otto comes Gebehard, Gerlach comes, Reginhard pincerna imperatoris, Odilrich, Berthoh, Wago, Hugolt, Hard, Erthanprehd, Suidiger, Albwin prepositus, Albwin, Albolt, Mazacho, Altbolt, Tiemar, Azilin, Dingolf, Romunt, Folchalm, Dietolf, Bennocho, Reginhard, Siger, Heriprehd. Haec autem acta sunt in castello quod vocatur Wihi in kalendo augusti et ad vincula sancti Petri, regnante venerabili imperatore Heinricho et beatissimo Bardoni episcopo procurante Magonziam et reverentissimo abbate Meinherio Herespeldensis ecclesiae; regente abbaziam.